

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Quid novi in vestra Melissa?*



Alexandreae descriptio (quam hic partim ostendimus)  
ex opere c.t. «Civitates Orbis Terrarum» deprompta XVI  
saec. facta est. Qua demonstratur quam incertae  
fabulosaeque fuerint Alexandriae descriptiones usque  
ad recentiora tempora.

... De Alexandreae monumentis multa nova  
paullatim reperiuntur.

☞ p. 2

... Guido Gezelle poeta Flandrus ante centum  
annos mortuus fuit etiam extra patriam  
notissimus.

☞ p. 4

... Septimo decimo saeculo alchemia floruit;  
iuris periti tunc disputaverunt, utrum legitima  
esset necne.

☞ p. 7

... Eiusdem saeculi epigrammata scholastica ab  
oblivione vindicantur.

☞ p. 9

... Latinae versiones operum modernorum  
feliciter multiplicantur.

☞ p. 12

... Si volvis sunt dentium difficultates ...

☞ p. 14

... Ecce de moribus antiquis sexta pars.

☞ p. 15

... Et index conventuum Latinorum!

☞ p. 16

# DE GLORIA ALEXANDREAE

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

**P**arisiis factae sunt anno 1998 complures expositiones quae spectabant ad Aegyptum. Causa huius multiplicitatis est quod recentes explorations subaquaneae in portu Alexandrino factae curiositatem renovaverunt in antiqua Alexandria. Exploratores cum sint Francogalli, non mirum est quod prima eorum inventorum exposito facta est Parisiis; intitulabatur «De gloria Alexandreae».


Eodem tempore duae aliae expositiones quae etiam spectant ad Aegyptum Parisiis erant instructae. Altera monstrabantur multa documenta scientifica collecta a doctis omnis disciplinae, qui Napoleonem Bonaparte comitati sunt in eius expeditione Aegyptiaca. Quae expeditio notitiam antiquae Aegypti multum auxit et merito dicitur fuisse ortum scientiae Aegyptologicae. Altera expositione militares et navales aspectus huius expeditionis monstrabantur, quae re vera fuit magna clades.

Res mira: exploratores subaquanei, qui non solum portum Alexandrinum scrutati sunt, sed etiam litus Aegyptiacum, in sinu Aboukir tres submersas naves invenerunt et agnoverunt, quae sunt «L'Orient», «La Sérieuse» et «L'Artémise». Hae tres naves classis Napoleonis perierunt anno 1798 in proelio navalni commisso cum Anglis navarchi Horatii Nelson.

\*  
\* \*

Alexandra Aegypti celeberrima est omnium urbium quas condidit Alexander Magnus. Qui vir iam tot gentium domitor, dum nova consilia animo volvit, anno 323 in Babylonia inopinanter periit solum triginta tres annos natus. Eius corpus tunc transportandum erat in Macedoniam, ut ibi sepeliretur in sepulcreto regali. Sed in itinere anno 322 deductum est in Aegyptum iussu Ptolemaei qui hanc imperii partem regendam obtinuerat.

Alexandi corpus paulisper mansit Memphi in antiquo Aegypti capite ubi Ptolemaeus primum collocaverat sedem sui novi regni. Paulo post consilium mutavit ob complures rationes. Ei necesse erat in mari dominari; praeterea Memphis



*Hunc in modum pictor J.C. Golvin sibi finxit insulam Pharum, qualis antiquitus erat alta turri lucifera aucta atque aggere Heptastadii ad continentem religata.*

ab hostibus si qui Aegyptum invaderent vix defendi poterat propter situm suum. Itaque putavit Alexandream multo aptiorem esse quae fieret caput regni Aegyptiaci. Alexandrum sepelire in hac ipsa urbe, quam primam condiderat, eius gloriae non erat impar atque sibi certe efficiebat regnum ratum. Alexander ergo Alexandreae magnifice sepultus est, sed, res mira, iam IV saeculo p.Ch.n. Alexandrini sepulcri situs erant omnino obliti.

A XIX saeculo usque nunc archaeologi non minus quam centum et quadraginta investigationes suscepserunt ad hoc sepulcrum reperiendum, sed adhuc frustra. Re vera paucissima vestigia supersunt urbis antiquae, quamquam tam ampla, tam frequens, tam dives, tam ornata fuit ut ipsi Romae compararetur.

Certe Alexandra quodammodo nobis nota est multis ex fontibus litterariis. Nonnulli eorum auctorum de visu scripserunt, ut geographus Strabo, alii solum de auditu, ut Cicero, sed fatendum est paucos textus praebere accuratam descriptionem urbis eiusque praecipuorum




aedificiorum.

De plerisque monumentis in antiquis fontibus citatis solum novimus nomina, cum vestigia nondum sint reperta. Huius ignorantiae complures sunt causae.

Iam Christiani ante Mahometanam dominationem nonnulla monumenta deleverunt; ingens splendidumque Serapeum, exempli gratia, anno 391 ab asseclis episcopi Theophili funditus dirutum est. Postea Aegyptus, cum in Arabum dicionem redacta esset, Occidentalibus iam non patuit, ita ut per multa saecula vix quicquam comperiretur de urbis mutationibus.

His humanis causis accesserunt causae naturales, i.e. vehementes terrae motus et soli depressio.



Recentius, id est XIX saeculo, urbs celerrime crevit; nam Aegyptus tunc sui iuris facta est duce Khedive Mehemet Ali. Ille vir favebat negotiatoribus Europaeis et Orientalibus, qui in novis aedibus extruendis de vestigiis antiquis infeliciter nullam habuerunt curam. Hac de causa inter alia disparuerunt Romana castra stativa optime servata et moenia antiqua.

Usque ad XVIII saeculum Alexandreae descriptiones sunt valde incertae; nullum antiquum monumentum ibi agnoscitur.

Anno 1866 novus Aegypti dux, Khedive Isma'il, ut gratum faceret amico suo Napoleoni III Francogallorum imperatori, astronomo Mahmoud

el Falaki mandavit ut antiquae urbis vestigia reperiret. Qui vir totam licentiam nactus quadringentis in locis effossiones fecit, quibus generalem antiquae urbis figuram restituere valuit.

Archaeologi XIX saeculo valde decepti sunt exiguo effossionum reditu. Henricus Schliemann, qui Troiam et Mycenae iam invenerat, Alexandream anno 1889 petivit, ubi sibi proponebat ut Alexandri sepulcrum reperiret. Sed frustra inquisivit effoditque.

Anno 1892 tamen Museum Graeco-Romanum conditum est, cuius curatores usque medium XX saeculum fuerunt docti Itali. Eorum opera factae sunt multae investigationes utiles, sed minoris momenti.

\*  
\* \*

Miraculum non e terra, sed e mari ortum est. Nam subaquaneae explorations novum inexpectatumque campum archaeologiae fortuito praebuerunt. Anno enim 1994 cinematographa Aegyptia nomine Asma el-Bakri pelliculam confecit de Alexandrino Museo Graeco-Romano. Huic pelliculae nonnullas scaenas subaquaneas interserere voluit, cum audivisset vestigia antiqua circa situm celeberrimi phari Alexandrini in fundo maris iacere. Ad quod faciendum natatores subaquaneos artis photographicae peritos arcessivit. Obstupfacti fuerunt hi natatores, cum maris fundum innumerabilibus ingentibusque lapidibus exsculptis coniectum viderent; confuse iacebant statuae integrae vel fractae pharaonum, regum reginarumque, inter columnas aliasque partes aedificiorum.

Iohannes-Yvo Empereur, Francogallus archaeologus qui anno 1990 Officium Studiis Alexandrinis considerat, consiliarius scientificus cinematographae Asmae el-Bakri erat. Quo munere fungens tantam mirabilium vestigiorum copiam in mari vidit, ut licentiam portus explorandi peteret. Accepta licentia manum non solum natatorum subaquaneorum sed etiam Aegyptologorum collegit valuitque pecuniam obtinere, quae ad rem incohandom erat omnino necessaria.

Tribus annis post explorationum initium Iohannes-Yvo Empereur in Parisino Museo Parvi Palatii exposuit ea quae iam reperta sunt. De his agetur in proximo fasciculo.

*(continuabitur)*

# DE GUIDONE GEZELLE POETA FLANDRO

## ANTE CENTUM ANNOS VITA FUNCTO

REFERT GAIUS LICOPPE

**E**ricus Patteeuw negotiator Flandrus est unus ex participibus primi seminarii Latini in Belgica habiti, i.e. Vestendae ad litus Belgicum anno 1983. A quo tempore optimus sodalis Latinus factus est fidelisque Melissae lector.

Qui vir nos nuper monuit illustrem poetam Flandrum Guidonem Gezelle, ante centum annos vita functum, hoc anno diversimode celebratum iri. Tanta est illius poetae fama, ut eius poemata dialecto Flandriae Occidentalis conscripta in multas linguas translata sint, etiam in linguam Latinam. Re vera, omnium poetarum qui Nederlandice cecinerunt, solus est cuius magna carminum pars Latine legi possit<sup>1</sup>. Quae cum ita essent, sodalis noster proposuit ut *Melissa* hanc celebrationem etiam participaret. Huic proposito libenter assensi multis documentis quae nobis praebuit in hac symbola conscribenda usi sumus.

Guido Gezelle (Latine: *Vido Comes*) primo-genitus est parentum humilium. Nascitur Brugis eo ipso anno 1830, quo Belgica sui iuris facta est post regis Nederlandiae dicionem vi excussam. Ab eo tempore area gentium, quibus dialecti Nederlandicae erant sermo patrius, in duas partes divisa est. In parte meridionali, i.e. Flandrica, quae inde pertinet ad regnum Belgicum, lingua Francogallica in usum administrationis studiorumque tunc inducitur. Si addimus Flandriae populum religioni catholicae Romanae totum addictum esse, melius intellegimus quales sint radices operis Guidonis Gezelle.

Ille poeta proximus fuit humilioribus popularibus suis, eorum dialectum amavit, coluit, illustravit, inclutam eorum maiorum memoriam revocare conatus est, religionem catholicam modo exemplari exercuit, docuit propagavitque.

In schola primaria Guidonis indoles appetit studii aptissima, sed studia pergere difficile est pauperibus hominibus. Humaniora studia Brugis incohata usque ad finem suscipere non potest nisi transiens, sedecim annos natus, in parvum seminarium Rollariense (Ned. Roeselare; Fr. Roulers), ubi, dum discit, minoribus muneribus fungitur. Ibi etiam oritur eius vocatio ad sacerdotium. Anno 1854 Brugas in magno

seminario ordinatur sacerdos.

Postea docere incipit in collegio Rollariensi, ubi classis poesis ei est moderanda. Infeliciter eius docendi modus praefectis statim displicet. Tradito enim modo non docet, sed more suo multo vividiore. Magistri munus deponere coactus transfertur Brugas, ubi nonnullos annos in Anglico seminario degit vicerector factus. Inde fit ut commercium habeat cum nonnullis nobilibus Anglis catholicis.

Anno 1865 munus iterum mutatur. Ecclesiae Sanctae Valburgae fit curionis vicarius. Dum novo munere septem annos sedulo fungitur, periodicum litteris dicatum in lucem edit, cuius propositum est humiles familias suo proprio sermone patrio erudire, id quod iam in titulo percipitur, cum sit «Rond den Heerd» (Circa focium).

Anno 1872 nimio labore exhaustus ita aegrotat ut periodicum relinquere debeat. Praeterea eius fama Brugis facta est dubia propter ancillam profusam et quandam nobilem dominam Anglam nomine Smith, quacum nimis frequens commercium habebat inimicorum opinione.

Brugas relinquere coactus migrat Cortoriacum, ubi fit vicarius veteris ecclesiae collegialis Nostrae Dominae. Plus quam viginti annos Cortoriaci degit fere usque finem vitae.

Anno 1889 Brugas in urbem natalem reddit. Paucos menses in monasterio Dominarum Anglarum tranquille versatur atque die 27 m. Novembris eiusdem anni supremum diem obit. Moriturus de se ipso dicit haec: «Ik heb geleefd (Vixi) in simplicitate cordis et veritate».

In fasciculo secundo anni 1900 periodici Vaticani, quod inscribitur «Vox Urbis», leguntur haec: «Guido Gezelle, sacerdos licet humilis - sacri curionis enim explebat vicem ad Brugas in oppido Belgico - eloquio scribens sive solutas orationes sive versus ornatissimos atque optimos, longe inter cives alienigenasque claruit.»

Guido Gezelle minus notus est apud gentes Francophonas quam in Magna Britannia, in Germania vel in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis. In his enim regionibus habetur unus ex maximis poetis lyricis. Infeliciter versuum



rhythmus, onomatopoeiarum musica, syllabarum-tinnitus vel dulcedo solum in textu originali gustantur. Per interpretationes tamen poetae anima detegitur. Sunt qui dicant fieri non posse, ut idem homo sit et sacerdos et poeta, sed Guido Gezelle non est exceptio in Flandria, ubi nonnulli sacerdotes etiam Latina carmina artificiose panixerunt, quorum complura exempla Professor Theodoricus Sacré in *Melissae* fasciculis iam praebuit.

Vates Guido Gezelle amat mundi naturam atque omne vivum; quorum creationem magnificat simplicissimis verbis. Saepe vita deceptus multaque mala passus dolorem et angorem canit, sed, fide christiana fultus, desperatione numquam afficitur. Invenit nullum esse gaudium sine lacrimis, nullam musicam sine fletu.

Primus Gezelianorum carminum interpres Latinus etiam est sacerdos et poeta, nomine Aemilius Gouffaux (1840-1924). Carmen c.t.

#### EXCELSIOR

*ab Aemilio Gouffaux translatum<sup>2</sup>*

Qualis equus cursu indomitus sua frena remordet,  
Et nive spumosa fervida colla rigat,  
Talis ad aequoreum littus constricta rudenti  
Aestuat impatiens navis inire viam. -  
Carbasa panda tument, radiisque in vertice puppis  
Fulget inaurata scriptio puncta manu:  
«Excelsior».

Et iuxta ripam senio iam fractus inertis  
Stat pater, ac puero vive valeque vovet;  
Dum mater, refovens nati complexibus artus,  
Ter conata loqui, ter premit ora gemens. -  
Ille autem undivagam conclamans scandit in arcem:  
«Ad maiora datus, iam potiora sequar  
Excelsior!»

Nauta iubet: «Date vela, viri!» - et iam, fune soluto,  
Äquor in immensum vecta carina salit.  
Et procul ex oculis pueri evanuere parentes:  
Nativi fugiunt moenia grata soli.  
Ipse tamen gaudens patriae valedicit, aitque:  
«Ad meliora vocor! - Quid peritura querar  
Excelsior?»

Et furiae subito volvunt mare, et imbribus atris  
Mergitur, intorto gurgite pressa, ratis;  
Et, reboante polo, rapidis micat igneus aether  
Fulminibus: terret saeva procella viros. -  
Ast puer immotus, turba coeunte: «Quid a me  
Talia? - Iam super haec efferar, inquit, ego  
Excelsior!»

(...)

«Excelsior» in Latinum vertit magna cum libertate auctorique dicat. Guido Gezelle litteris gratias agens ei gratulatur pro lauta stola Latina, qua carmen originale vestivit. Addit se ipsum nonnulla conamina fecisse in versibus Latinis pangendis. Quorum tamen nullum vestigium videtur superesse.

Ceterae translationes, omnes post poetae mortem exaratae, textui originali sunt magis adstrictae quam Aemilii Gouffaix interpretatio. Ex his translationibus notissimam solum citamus, cuius auctor est Hermannus Vroom episcopus Nederlandus; «Centum carmina quae composuit Guido Gezelle Latinis versibus reddidit», est titulus eius operis Lugduni Batavorum (v. Leiden) a. 1967 in lucem editi.

His nimis paucis carminibus infra expositis fortasse licebit nonnullas micas Guidonis Gezelle poesis gustare.

#### MATERCULA (MOEDERKE)

*a Iosepho Bus translatum<sup>3</sup>*

Non est de te,  
matercula,  
nec scripta nec  
signata  
terrena nec  
imago nec  
effigies  
servata,

nec statua  
nec tabula  
nec luce simulata;  
nisi tantum  
quae species  
intus in cor-  
de nata.

Faxit Deus  
ut numquam haec  
scelestae  
polluatur.  
sed sancta sit,  
vivente me,  
mecumque  
moriatur.

LACRIMAE (TRANEN)  
a Paulo Claes translatum<sup>4</sup>

Sunt nebulae  
quae matutinos  
tramites offundunt;  
arbores, vix  
a me conspectae,  
lacrimas profundunt.

Non pluit, sed  
salivat... quasi  
tactilis temptanti  
humiditas,  
par pulveri et  
pelli palpitanti.

Sunt tenebrae,  
quae terram, caelum,  
tramites confundunt:  
arbores, vix  
a me conspectae,  
lacrimas profundunt.



Haec statua Brugis  
erecta est.

HUNC VESPERUM HUNC FLOREM  
(DIEN AVOND EN DIE ROOZE)  
ab Hermanno Vroom translatum

Quam saepe horam apud te  
suaviter agebam!  
nec ullam horae partem te-  
cum actae non gaudebam.  
Tunc florem saepius pro te  
electum tibi dedi  
et tamquam apis tecum, te-  
cum eius mel comedи.  
Sed numquam hora apud te  
suavius durabat  
nec magis tristem me a te,  
peracta, separabat  
quam hora, illo iuxta te  
cum vespere sedebam,  
te audiens, et ante te  
cor meum cum pandebam.  
Nec umquam pulchrior ex te  
flos lectus carpebatur  
quam illo vespere in te  
splendens me solabatur.  
Quamquam pro me, sic nec pro te,  
- quis vulnus hoc curabit? -  
heu, mecum hora, hora te-  
cum diu non durabit;  
quamquam pro me, quamquam pro te  
tam dulcis, tam electus  
flos ille, datus sit a te,  
tam mox fuit enectus,  
diu, - hoc volo scire te -  
dum retinet vigorem,  
tria cor feret cara: te,  
hunc vesperum, hunc florem!

ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Si quis de his interpretationibus Latinis plura scire vult, legat symbolam, quam de hac re conscripsit Prof. Th. Sacré in «Gezelliana. Kroniek van de Gezelle studie», 1989.

<sup>2</sup> Haec solum est tertia pars poematis, quod duodecim strophas habet. Cfr Th. Sacré, *Gezelle in het Latijn*, in: «Gezelliana. Kroniek van de Gezelle studie», 1989, p. 60-78.

<sup>3</sup> Huius carminis, Guidonis Gezelle celeberrimi, Theodoricus Sacré quattuor interpretationes Latinas colligit, adnotavit atque denuo edidit in Voce Latina 24 (a. 1988) fasc. 92 p. 282-284.

<sup>4</sup> *Metamorphoses. Carmina poetarum recentiorum in Latinum vertit Paul CLAES, Sonnegae Batavorum [v. Sonnega], 1991, p. 23.*



# DE IURE ARTIS ALCHEMIAE

SCRIPSIT CAROLINA THUYSBAERT



*'Hoc est variorum authorum et praesertim Iurisconsultorum iudicia et responsa ad quaestionem quotidianam: An Achimia sit ars legitima.'*<sup>1</sup>

artis ususque eius. Permissiones et prohibiciones dandae pendeant, saepe, id quod non difficile est intellectu, ex condicione oeconomica.

\*  
\* \*

Ecce nunc aliqua excerpta de symbola supra dicta:

- *Ex Thoma Aquinate, in Summa Theologica 2.2.q.77.art.2.*

«Si autem per Alchemiam fieret aurum, non esset illicitum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis, ad producendum veros et naturales effectus.»

**C**um titulum symbolae legimus, duae quaestiones nobis in mentem veniunt:

- Eratne quaestio ad alchemiae ius pertinens re vera *quotidiana*? i.e. eratne «ars» illa tam magni momenti historici?
- Quomodo auctores et iurisconsulti ad quaestionem supra scriptam responderunt?

Alchemia est ars transmutandi metalla vilia in argentum vel aurum. Definitio nostra paululum vulgaris est, sed consulto, quia hic non tractabitur qualis natura fuerit alchemiae!

Iam temporibus antiquis apparuit adulteratio nummorum<sup>2</sup>. Investigationes alchemicae naturaliter duxerunt ad nummos faciendos. «Facere» pecuniam alchemico modo sine dubio est methodus commoda ut divitiae propriae augeantur. Et exempla historica oeconomica eminentia non desunt<sup>3</sup>. Unum exemplum, satis bene notum, sufficit ut hoc probetur: «Nobilia rosalia»<sup>4</sup>. Quarto decimo saeculo, Eduardus III rex Anglorum statuit bellum sacrum contra Turcos gerere ad sepulcrum Christi liberandum. Sed bella illorum temporum multum minuerant divitias regales et regi opus erat pecunia ad scopum assequendum. Propterea Londinium alchemistam quandam arcessivit ut aureos nummos faceret. Auctor nummorum non pro certo designatur<sup>5</sup>. In nummo haec verba legi possunt: «Iesus autem transiens per medium eorum ibat.» Altera pars regem monstrat armatum in nave et rosam (vide subiunctam imaginem).

Persaepe tales nummi facti et evidenter in usu fuerunt. Qua de causa orta est quaestio de iure



- Ex Oldrado consil. 7.4. de sortileg. numm. I.

«... videtur... quod quisquis credit posse fieri aliquam creaturam aut in melius mutari aut transferri in aliam speciem, aut in aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est et pagano deterior. (...) Non enim posset fieri sine auri decoctione, quae videtur a iure prohibita. In contrarium videtur, quod isti qui e stanno vel plumbo vel alio vili metallo producunt aurum vel argentum dum tamen hoc non faciant per artem magicam vel aliam legibus odiosam: ut dicit lex C. de thesaur. 1.1.lib.X non sunt reprehendendi, sed potius laudandi. Isti sunt metallarii, qui labore proprio sibi et Reipublicae commoda comparant. (...) Sed dicunt quod ex una specie metalli (scilicet stanno) potest alia species metalli (scilicet aurum) produci. Nec hoc est inconveniens. Nam et videmus quod quandoque ex re mortua producitur viva, ut videmus in vermbus ex quibus producitur sericum et aliis pluribus. (...) Multo magis ex metallis, in quibus est maior convenientia et similitudo. Nam omnia metalla procedunt ex eodem principio scil. ex sulphure et argento vivo. Sed ex virtute elementorum quaedam habent maiorem influentiam in uno loco quam in alio, in una minera sit stannum, in alia argentum, in alia aurum et sic de aliis.»

- Ex Andr. Isernino, in Tit. feud. Quae sunt regalia.

«Dic quod si faciunt aurum sophisticatum non debere vendere pro puro, quia est falsitas. (...) Non est illicitum verum aurum pro vero vendere.»

- Ioan. de Plattea in 1.I.ca ad R.C. de argent. pret. quod thesaur. infert. lib.10.

«Cum igitur ars imitetur naturam, non peccant Alchemistae, si per virtutem herbarum, lapidum, vel aliorum Elementorum, unum vile metallum in pretiosius reducunt, cum ambo fuerint eiusdem speciei et principii.»

- Thom. Arfoncini 1.V. Doctoris de Iure Alchemiae responsum.

«Ad propositam quaestionem breviter respondeo: si communis Doctorum opinio facit ius (ut inter omnes peritos constat) sequitur ut Alchemia sit licita. Verum est autem antecedens: quia Oldr.Bald., Jo.Andr.Pan., And.Isern., Albert. de Rosat., Ald.Brun., Guid.Pap. et alii complures, tam civilistae quam canonistae illam comprobarunt. Unus solus contradicit Angelus, in sua summa angelica. Sed praeterquam quod unius Doctoris contra communem nulla est auctoritas, ut omnes sciunt, certe fuit unus magnus canonista. (...) Hoc est fundamentum adamantinum ex auctoritate magnorum et clarorum Doctorum et Iurisconsultorum: ut omittam auctoritatem Thomae de

Aquino, qui duobus aut tribus locis Alchemiam apertissime comprobavit. (...) Neque ad rem pertinet quod dicit, illorum artificium non fuisse quaestuosum. Primum quia in quaestione, an Alchemia sit ars licita, non quaeritur an sit lucrosa aut fructuosa, sed tantum an Iure divino vel humano prohibeatur. Deinde quia fieri potest ut illi artifices, de quibus loquitur, non satis periti fuerint, cum alii peritiores esse potuerint, ut vulgo dicimus, inter artifices latam esse differentiam. (...) Sed videamus alia quaedam argumenta. Scribit enim Arist. quod ars naturam in quibusdam imitatur et quod multa naturalia confici et perfici arte possunt. (...) Tertium exemplum ponatur de sale. Nam sal aut sit aut gignitur. In Polonia est sal minerale, in Gallia est factitium et huius eadem proprietas, natura et efficacitas, quae illius. (...) Quae cum ita sint, non absurde concludere possumus: sicut ars in tam multis aliis naturam imitari potest, non esse inconveniens dicere, illam in auri et argenti operatione naturam imitari posse. (...)

Sed tamen rogandi sunt ut cogitent, artificum vitia nequaquam arti imputanda esse. Quoniam aliud est ars, aliud artifex: aliud est usus artis aliud abusus. (...)

Si artes propter artificum abusum damnandae essent, quaenam hodie probaretur: an Iuris prudentia, in qua tot sunt rabulae? An Medicina, in qua tot sunt benefici? An Theologia, in qua tot sunt sophistae?»

Vobis nunc quaestionibus nostris respondendum est!

#### ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Hic est titulus symbolae cuiusdam auctoris nomine Faniani; in Theatro Chemico, I, Argentorati, 1659, pp. 48-63.

<sup>2</sup> Vide librum perutilem Iacobi Van Lennep, Alchimie, Crédit Communal, Gandavi, 1984, pp. 367-390.

<sup>3</sup> E.g. XVII saeculo, Gustavo Adolpho regnante; Germania, XVIII saeculo, nova moneta argentea Darmstadiensis; etc.

<sup>4</sup> Francogallice «Nobles à la Rose», quorum imaginem hic videtis.


<sup>5</sup> Probabiliter Raymundus Lullius; de controversia, vide E. d'Hooghvorst, Le Fil de Pénélope II, La Table d'Emeraude, Lutetiae Parisiorum, 1998, pp. 28-29.



# EPIGRAMMATA SCHOLASTICA

HENRICI BASILII WIJNGAERT O.S.A. (1596(?) - 1664) INEDITA<sup>(1)</sup>

QUAE PROPOSUIT THEODORICUS SACRÉ



In Societatis Iesu gymnasiis  
hae fere leges praemiorum  
obtinebant: «Rhetoricae octo  
praemia proponentur: duo  
solutae orationis Latinae, duo  
carminis; duo solutae orationis  
Graecae, totidem Graeci  
carminis. Sex item, sed eodem plane ordine in  
Humanitate et in prima classe Grammaticae, relicto  
scilicet Graeco carmine, cuius infra Rhetoricam  
fere non est usus. Quatuor deinceps in omnibus  
alii inferioribus, relicto etiam Latino carmine.»<sup>2</sup>  
Victorum autem nomina publice pronuntiabantur  
«et in medium procedentibus praemia cuique sua  
honorifice dividebantur».<sup>3</sup> Qui victores a  
praeconibus evocari solebant his fere verbis: «Quod  
felix faustumque sit rei literariae omnibusque  
nostris gymnasii alumnis, primum, secundum,  
tertium etc. praemium solutae orationis Latinae,  
carminis Latini, etc. meritus et consecutus est N.»  
Dumque praemium traditur, carmen quoddam  
brevissimum ad rem maxime appositum  
recitabatur idque interdum a cantoribus  
repetebatur.<sup>4</sup>

Eundem morem et in scholis Augustinianorum,  
Piaristarum, Franciscanorum olim fuisse  
observatum veri est simillimum. Immo, eiusmodi  
epigrammata, victorum nominibus nonnumquam  
alludentia, in ipsis libris qui eximiis discipulis  
praemio dabantur interdum inscribabantur. Huius  
rei etiamnunc extant exempla. Nam libro Iohannis  
Paludani anno 1623 typis excuso qui *Apolegeticus Marianus* inscribitur, inest epigramma hoc  
aliquatenus Horatianum ad Adrianum quendam,  
discipulum Megensem (vulgo *Megen*, quod est op-  
pidum Brabantiae septentrionalis), datum:

«E Figuris Minoribus ad Maiores [ascendent]i  
Ingenuo ac probo adolescenti Adriano Van Berghen

Ut superat stellas argentea luna minores,  
sic et sodales inter Adrianus micat.

Apud FF. Minores Megenses A. 1666<sup>5</sup>

Quid multa? Optimus quisque discipulus id genus  
epigrammate donatus, dum sese immortalitati iam  
traditum esse credebat, ad studia Latina acrius  
colenda excitabatur. Vana fuerit illa spes, at haec  
studiorum irritamenta rationibus quibusdam  
paedagogicis respondebant. Nil ergo mirum si Anna  
Elissa Radke poetria eademque doctrix, quae hac  
floret aetate, idem fere consilium secuta,  
epigrammatis Latinis discipulos donare saepe solet;  
inter quae leguntur haec:

Xenia discipulis classis IX dedicata

J.D.

Arcadius, Corydon, pastor mihi saepe videris:  
observas recubans nubila mobilia.

B.W.

Mercurii similis tabula volvente videris:  
lingua Latina tuo sit rota et ala animo.<sup>6</sup>

Iam ut ad Wyngaerdum, poetam eundemque  
doctorem et gymnasiam saeculi XVII, revertar,  
non is sum qui epigrammata infra edita inter  
summae artis fetus poeticos numerem; immo  
mediocres mihi ei plerumque videntur esse  
versiculi. Iisdem vero, quod permulta nobis  
exempla sistunt generis cuiusdam litterarii quod  
multa per saecula assidue in gymnasii est  
excultum, aliquam equidem vim tribuerim. Huc  
accedit quod pauca supersunt documenta ad  
gymnasium Augustinianum Lovaniense, quod est  
conditum anno 1612, eiusque incunabula et  
primam adulescentiam relata<sup>7</sup>; nam, cum regentes,  
praeceptores et discipuli nomina studiorum  
universitati dare iuberentur itaque universitatis  
Facultati Artium essent subiecti, raro tamen fiebat  
ut officia haec praestarent. Quare pauca nobis  
innotuerant alumnorum Lovaniensium nomina,  
nisi epigrammatum horum ope et subsidio  
studiosorum album aliqua ex parte supplere  
potuissetemus.

\*  
\* \*

**I. Epigrammata nonnulla anni 1620(?)  
«inscripta praemii quorundam ascendentium» [f. 17<sup>v</sup>]**

**1. Ioanni Anthoni**

[Agitur aut de Ioanne Anthoni Udensi Brabantino qui prid. Kal.Mart. anni 1619 in album studiosorum Academiae Lovaniensis inter «pauperes Porcenses minorennes» est relatus, aut de Ioanne Anthonii Trudonensi, qui mense Decembri 1622 «inter Lilienses divites» commemoratur: cfr. A. Schillings (ed.), *Matricule de l' Université de Louvain*, 5 : 1 6 1 6 - 1 6 5 1 (Bruxellae, 1962), p. 42 num. 237; p. 107 num. 131]

Utilis hinc pietas, rapit inde scientia mentem,  
propter quas manibus praemia digna rapis.

**2. Lamberto Theodori**

[Amersfordiensi, qui mense Dec. anno 1621 nomen studiorum universitati Lovaniensi dedit: A. Schillings, *Matricule*, p. 95 num. 234]

Munera digna tuo sumes, Lamberte, labore:  
postulat hoc Pallas, non tua lingua petit.

**II. Epigrammata nonnulla anni 1624 [f. 78<sup>v</sup>-79<sup>r</sup>]**

Disticha praemii inscripta anno 1624  
Rhetoribus

**1. Adriano Compeer Nivellensi**

[alias Compere; anno 1621 mense Octobri una cum Petro Bartholomaeo fratre in albo studiosorum Lovaniensium memoratur ut «Nivellensis, minorennis, Augustinensis schola(e)»: A. Schillings, *Matricule*, p. 88 numm. 16-17]

Non sat ab ingenio te laudem Rhetora magno,  
quem sperat dignum Fama videre cedro.

**2. Carolo Haertaeo Hiberno**

[An idem, qui et Hartite vel Hartites vocatus ex Hibernaque oriundus mense Ianuario anno 1625 minorennis nomen universitati dedit? Cfr. A. Schillings, *Matricule*, p. 133 num. 35]

Infelix sectis hibernat Hibernia diris;  
sit patria: haud glaciant arsque fidesque tibi.

**3. Iacobo a Sancto Ioanne Lovaniensi**

[qui, ni omnia fallunt, cognatus erat Fratri Lamberto a Sancto Ioanne Trudonensi, «religioso et professori humaniorum literarum in eodem conventu [Augustinianorum Lovaniensi]» mense Oct. 1622 (cfr. A. Schillings, *Matricule*, p. 104 num.

14 et D. Verkerken - W. Grootaers, *Repertorium Ordinis Fratrum Sancti Augustini. Provincia Coloniae - Provincia Belgica 1252-1995* (Lovanii, 1996), p. 249]

Aonidum sacros libasti e flumine potus:  
nunc ab Aristotelis pocula fonte cape.

**4. Michaeli Hugonis Lovaniensi**

[qui medio mense Ianuario anni 1625 studiosus auditor universitatis Lovaniensis est factus: A. Schillings, *Matricule*, p. 135 num. 103]

Insignit vatum Parnassia tempora laurus;  
pro viridi emeritus daphnide sume librum.

**Grammaticis**

**5. Nicolao van Rivieren Lovaniensi**

[mense Maio anno 1625 inter «Augustinenses divites» memorato: A. Schillings, *Matricule*, p. 144 num. 22]

Exprimis ingenio vivum, Nicolae, fluentem  
doctrinae; o utinam quiveris esse mare.

**III. Epigramma anni 1625 (?) [f. 80<sup>v</sup>]**

1. Tertius ex maioribus figuris ad Grammaticam  
[ascendentil]: Nobilis puer Thomas Worthinton  
Anglus

[e gente Wortintonia Anglica; Guilielmus quidam Wortintonus Anglus memoratur ut alumnus collegii Porcensis Lovaniensis anno 1618: cfr. A. Schillings, *Matricule*, p. 30 num. 183]

Angelus ingenio es, verum Anglus origine,  
Thoma:  
moribus angelicis angelus esse stude.

**IV. Epigrammata nonnulla anni 1633 (?) [f. 114<sup>v</sup>-115<sup>r</sup>]**

Disticha praemii studiorum superscripta  
Teneramundae

**1. Iosepho Rivillae poetae et militi**

Non bene convenient Ars, Mars (vulgariter  
aiunt):  
o in te Ars et Mars quam bene convenient!

**2. Petro de Iode [e maioribus figuris ascendentil]**

Ut bene semper eas, opto: cave stare vel esse  
sicut es aut stas; i neve morere vide.

**V. Epigramma anni 1640 [f. 158<sup>v</sup>]**

Disticha praemiis superscripta Lovanii 1640

1. Henrico Prothin 2° ex Poesi

[alias Protin, qui mense Decembri anno 1641  
memoratur Collegii Castrensis alumnus pauper:  
A. Schillings, *Matricule*, p. 394 num. 115]

Orpheus auritas mulxit testudine quercus;  
Henricus resonum fundit ab ore melos.  
[mg. additum: optimus musicus]

**VI. Epigramma anni 1642 [f. 180<sup>r</sup>]**

Disticha inscripta praemiis 1642

1. Dionysio Wijngaert  
[qui dubio procul poetae erat cognatus]

Vae tibi, nascantur si non ex vitibus uvae  
nec tua si quandam vinea vina ferat.

**Appendix:** Ad aulam Principis Isabellae  
Pientissimae [f. 116<sup>v</sup>]<sup>8</sup>

Non est aula haec aula, schola est virtutis et officia  
pudicitiae, Vesta, palaestra tua.  
Quae regit, haud mihi dux visa est, antistita  
claustrum  
visa: intra hanc aulam qui cupis esse pius.

ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Servantur Bruxellae in Bibliotheca Regia, cod. 5051, passim.

<sup>2</sup> Cfr. *Ratio studiorum. Plan raisonné et institution des études dans la Compagnie de Jésus. Édition bilingue latin-français*. Présentée par A. Demoustier et D. Julia. (...) Annotée et commentée par M.-M. Compère (Parisiis, 1997), p. 149.

<sup>3</sup> *Ibid.*, p. 151.


<sup>4</sup> *Ibid.*

<sup>5</sup> Cfr. C. Coppens, *De prijs is het bewijs: vier eeuwen prijsboeken*. Met een inleiding door J. Storm van Leeuwen (Lovanii, 1991), p. 116.

<sup>6</sup> Cfr. Anna Elissa Radke, *Ars paedagogica. Erziehungskunst. Lateinisch-deutsche Gedichte und Prosatexte für Schüler, Lehrer und Unterricht* (Heribpoli, 1998), pp. 16 et 19.

<sup>7</sup> Cfr. N. Teeuwen, 'Het college der Augustijnen te Leuven', *Augustiniana*, 1 (1951), 48-74. De gymnasii Augustinianis consulas etiam D. Leyder, 'Onderwijs als hefboom voor de heropleving van de Keulse Augustijnenprovincie (zeventiende eeuw)', *Trajecta*, 6 (1997), 318-333.

<sup>8</sup> Cfr. Th. Sacré, 'Carmina Henrici Basilii Wijngaert (alias de Wijngaerde) O.S.A. (1596(?) - 1664)' in *Melissae* fasciculo antepaenultimo, num. 1.



## DE NOVIS LIBRIS

### Retiarius: Commentarii Periodici Latini

Ecce secundus fasciculus Retiarii, qui moderante Terentio Tunberg in interrete editur. In quo invenietis existimationes Haicum Latinorum scriptas ab Accio Watanabeo, Theodorici Sacré commentationem de poetis Latinis, qui Titanicae navis interitum cecinerunt, perutilem catalogum operum quae ad sermonem neolatinum pertinent propositum a Terentio Tunberg... et alia multa et scitu dignissima.

<http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/retiarius/>

### T. STORM, *Duae fabulae. Viola tricolor. De speculo Cypriani, in Latinum vertit Rochus Habitzky, Leichlingen (D-42799), Domus editoria Rainardi Brune, 1998.*

Rainardus Brune editor laudabiliter solet curare, ut fiant editiones textuum Latinorum modernorum. Duas lepidas novellas hic elegit, quas Theodorus Storm poeta Germanus praeterito saeculo conscripsit. Ecce narratiunculae soluta oratione conscriptae sed poetico sensu non carentes, quibus Latini lectores delectentur.

# FRAGRANTIA

PROPOSITA A NICOLAO GROSS

**Fragrantia. Historia homicidae.** *Fabula romanica a Patricio (Patrick) Süskind Germano Francogalliensi Theodisce scripta a. 1985 sub titulo, q.e. «Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders», Turici Helvetiorum in Aedibus, q.s. Diogenes-Verlag, edita, a Nicolao Gross Coreanensi in Latinum conversa.*

## PRAEFATIO INTERPRETIS

Liquores volatiles et fragrantes, qui dicuntur Francogallice *parfums*, in hac versione Latina appellantur verbo Graeco *myra* (*myron*, i. n. a Gr. τὸ μύρον, neograece μυρωδικό, μυρωδιά). In litteris Romanis latius patet verbum Latinum *unguentum* (quod dicitur ab *ungendo*, cfr *unguentarius*, *taberna unguentaria*). *Unguenta* erant substantiae fragrantes aut *cerae* aut *adipi* aut *oleo* similes, quibus cutis corporis unguebatur decoris aut valetudinis causa. Sed nomen modernum, quod est *parfums*, non spectat ad substantias *adipi* similes (Fr. *onguent* aut *crème*, cfr Lat. *ceroma*, atis n.), i.e. solidas, sed ad liquores subtile et volatiles, qui facilime guttis minutissimis possunt per aera dispergi. Tales liquores nova demum aetate inventi esse videntur, quod fieri potuit adhibito alcohole, i.e. spiritu vini subtilissimo (verbum *parfum* dicitur a verbo Italiano *perfumare*, cfr *perfumo* vel *recentius profumo*). Inventor et cultor huius methodi odoramenta solvendi et dispergendi dicitur fuisse Frangipani, Daedalus fragrantiarum Italianus, cuius nomen in fabula saepius celebratur.

Ad notionem denominandam hic adhibeo verbum Graecum τὸ μύρον, praesertim cum sermo Graecus aetate antiqua (sicut nova aetate sermo Francogallicus) fuerit sermo elegantiarum. Cicero in epistula ad Atticum scripta (1,19,2) affert locutionem Graecam, quae est τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον, i.e. ad verbum: *unguentum in lente*, quod valet rem pretiosam adhibere ad rem vilissimam. Sensu translatu μύρον valebat aliquid lepidum, amabile. Itaque erat etiam blandum nomen *amantium*. Ceterum hoc verbum antiquum vel potius forma ab eodem derivata adhuc adhibetur in lingua neograeca (μυρωδικό, μυρωδιά), ubi reapse valet i.q. Fr. *parfum*.

Nos autem secundum formas palaeograecas appellamus eum, qui talia odoramenta vendit, *myropolam* (*myropola*, ae m., Gr. ὡ μυροπώλης), et eum, qui talia fabricat, *myropoeum* (*myropoeus*, i.m., a Gr. ὡ μυροπολός). Adiectivum ad talem hominem pertinens sit *myopoeticus*, a, um (originaliter *parfümästisch*, cfr *onomatopoeticus*, ὀνοματοποιητικός).

Fabula autem, cuius translationem Latinam lectoribus proponam, non solum spectat ad scelera, sed etiam ad mores et cultum civilem hominum neque expers est rerum mirabilium artificiose atque iocose enarratarum, praesertim stupendi regni odorum, foetorum et fragrantiarum.

Agitur enim de Iohanne Baptista Grenulio (originaliter: *Jean-Baptiste Grenouille*), Francogallo myropoeo ingenioso et monstruoso saeculi octavi decimi, qui duabus qualitatibus funditus differt a ceteris hominibus: ipse non olet, sed omnia olfacit, animal expers odoris, sed instructum sensu olfaciendi subtilissimo, ut ita dicamus, absoluto.

Grenulius primo secundam tantum qualitatem suam animadvertisit et discit vitam praecipue considerare et comprehendere facultate sua olfactoria, cuius effectu odoratio odorumque fabricatio mox fit unica eius cupiditas (eius non interest cum hominibus conversari nisi ut eorum odores sibi comparent). Hac cupiditate inductus aetate quindecim annorum quadam nocte in tribu Parisina primum homicidium committit; nam fragrantia alicuius puellae tam vehementer attrahitur, ut eiusdem substantiam solidam et materialem possidere ardentissime cupiat, ne fragrantia sibi sit res fugax et volatilis, qua per momenta tantum temporis frui liceat, sed ut fiat κτῆμα εἰς δεῖ. Etiam annis post huius fragrantiae compositionem exactissime recordatur.

Grenulius primo fit tiro coriarii, deinde myropoei Parisini. Tirocinio finito proficiscitur ad oppidum Grassam (originaliter: *Grasse*), urbem Francogallicam myropoeos causa illustrissimam. Quod iter fit per septem annos, quibus Grenulius cognovit se ipsum esse ab omni odore vacuum. Quae cognitione ei est fatalis.

Grassae autem diversissimos odores hominum fabricat: *His odoribus diversis abditus, quos pro necessitate mutabat tamquam vestimenta, et quibus usus est, ne ab hominibus animadverteretur neve*

*natura sua cognosceretur, Grenulius nunc se dedit verae cupiditati suae: fragantiis subtiliter venandis.*»

Hac venatione Grenulius fit interactor viginti quinque mulierum Grassae pulcherrimarum et lepidissimarum. Sicut apud myropoeos didicit, earum fragrantias conservat, ut possideat. Denique ei deprehenso et scelerum convicto et capitis damnato contingit, ut homines suppicio ad futuros vi myri sui mirabili redigat in quandam ecstasim ingentem, qua ipse liberetur. Nunc scit, quam potens sit facultate sua myropoetica: «*Potestas, quae maior erat quam potestas pecuniae aut potestas terroris aut potestas mortis: potestas inexsuperabilis, qua homines imbuuntur amore. Unum tantum hac potestate effici non potuit: ut olfaceret se ipsum. Et... si se ipsum olfacere non potuit ideoque nemo scivit, quis esset, non flocci fecit eam potestatem, mundum, se ipsum, myron suum.*» Revertit in locum suum natalem, Coemeterium Innocentium Parisinum; ibi autem...

Haec fabula a. 1985 edita a criticis litteraturae hymnicae celebrata est propter splendidam elocutionem, ingeniosam morum et cogitationum descriptionem, vividissimam actionis enarrationem. Ipse Marcel(lus) Reich-Ranicki, criticus in Germania notissimus, qui ab auctoribus vehementer timetur propter iudicia sua acerrima, sibi non temperavit, quin auctorem laudaret: «*En tandem iuvenem auctorem Germanum, qui scit scribere fabulas, quae habent exspectationem.*» Sed Patricius (Patrick) Süskind (qui natus est a. 1949) etiam extra fines Germaniae in claritudinem pervenit: ipsis Coreanis a Germania remotissimis eius libri sunt gratissimi. Fabulae autem, quam hic tractamus, iam duae exstant versiones Coreanae: una appellatur «*Hyangsu*» (i.e. «Myron»), altera «*Hyanggi*» (i.e. «Fragrantia»).

Quibus acceptis non potui, quin quam studiosissime incumberem huic operi mirabili in Europae sermonem patrium convertendo. En, candide lector, habes huius fabulae laureatae translationem Latinam. Num mihi contigit, ut splendorem atque subtilitatem elocutionis Patricii Süskind fideliter redderem? De hac re tibi iudicandumst: nam ne quis sit iudex in propria causa.

\*  
\* \*

#### CAPITULUM QUARTUM DECIMUM

En corium caprinum cuti Hispanicae destinatum! Baldinius recordatus est. Cutes apud Grimalium nonnullis diebus ante sibi mandaverat, lautoria coria subtilissima substramini scriptorio

Comitis Verhamont destinata, pretio quinorum denorum Francorum. Sed nunc iis non iam eguit, parcere potuit pecuniae. At altera ex parte, si puerum cum coriis remitteret...? Quem scire... - hoc fortasse minus commode auditum iri, locum posse dari sermonibus, rumusculos posse oriri: Baldinium non iam stare promissis suis, Baldinium non iam accipere mandata, Baldinium non iam solvere posse... talia autem non iuvare, non, non, nam talibus rebus pretium tabernae vendendae posse deminui. Melius esse accipere has cutes caprinis inutiles. Ne quis praemature animadverteret Iosephum Baldinium mutasse rationem suam vivendi.

«Intra!»

Puero introducto ambo in tabernam transierunt, Baldinius cum lucerna praeiit, Grenulius cum cutibus secutus est. Primum omnium Grenulius intravit myropolion, locum, ubi odores non erant additamenta, sed res maximi momenti. Scilicet eum novisse omnia urbis myropolia et aromatopolia: per integras noctes steterat ante merces earum expositas nasumque rimis ianuarum impresserat. Noverat omnes fragrantias, quae ibi venibant easque ad myra praeclarissima componi iam saepe animo finxerat. Ergo nihil ibi novi exspectavit. Sed ut puer pronus ad musicen ardentiissime cupit orchestram e propinquuo spectare aut semel in ecclesia ascendere ad podium, ad organi manuale occultum, sic Grenulius nunc ardebat myropolion introrsus spectare, ideoque, cum audivisset portandum esse corium ad Baldinium, omnibus viribus studuerat, ut sibi liceret hoc mandatum suspicere.

Nunc autem stetit in taberna Baldinii, in eo loco Parisiorum, quo maxima multitudo fragrantiarum professionalium in spatium angustissimum coacta erat. Haud multa conspexit in lumine candelarum praetervolanti, nihil nisi breviter mensae venaliciae umbram, cui libra imposita erat, ambas ardeas lebeti superpositas, sessibulum emporibus destinatum, obscuros pluteos parietibus appositos, instrumenta orichalcina nostasque albas hyalis tigillisque affixas breviter coruscantes; neque plura odoratus est quam antea in via. Sed statim sensit affectum animorum gravem in his locis dominantem, paene dixum sanctum, si quidem verbum «sanctitatis» pro captu Grenulii ullam vim habuisse; qui sensit severitatem frigidam, fabrilem ieunitatem, siccum lucricupidinem, quae omni supellectilis parti, omni instrumento, cupis et lagoenis et ollis adhaerebant. Dum Baldinium sequitur, in umbra Baldinii, nam Baldinius operam non dedit, ut Grenilio luceret, hoc ei venit in mentem se nullius loci esse nisi eius, se ibi mansurum esse, se illinc mundum e cardinibus elevaturum esse... 

(continuabitur)

# DE DENTIBUS IMPLANTATIS

FINNICE CONSCRIPTSIT MARCUS ASMUNDELA, ODONTOLOGUS CHIRURGIAE ORALIS PERITUS,  
LATINE REDDIDIT ANNULA KELA

**D**ens implantatus radicem dentis significat e titanio arte factam, quae permanens ossi maxillari inseritur et pro radice dentis naturali substituitur. Modus implantandi a professore Suetico nomine Branemark et ab adiutoribus eius creatus est septimo decennio nostri saeculi. Radix implantanda plerumque forma est cochlea aut cylindrus, quae quive operatione ossi infigitur. Si unius gradus est, caput fixurae, i.e. partis ossi maxillari infigendae, trans mucosam in cavum oris operatione ducitur. Sin autem duorum graduum est, tota fixura sub mucosa latet, donec convalescat, et altera operatione nudatur, qua etiam pars transmucosa ei adicitur.

Indicationes curae implantationalis solent esse exfoliatio singulorum vel plurium dentium aut mobilitas protheseos totalis, cui firmamentum addendum est. Ut cura bene eveniat, oportet patientem animum rei attendere atque cupidum esse dentes diligenter purgandi etiam cura completa; conditionem patientis generalem ad operandum aptam et dentes alioquin curatos esse; crescentiam finitam esse, antequam cura incipiatur, cum finis senectutis non definiatur. Contraindicationes, quae curam impediunt, sunt exempli gratia gravis morbus generalis aut exspectationes patientis nimiae, quae eventui vero repugnant. Usus tabaci maximus secundum investigationes prognosin peiorem reddit.


Initio consilium curandi componitur, quod antecedit investigatio oris accurata et clinica et radiographica. Insuper exemplaria maxillarum gypsata configuntur, e quibus genus implantandi idoneum deligitur atque positio in arcu dentali definitur. Nisi satis ossis regioni operandae inest, defectus osse e mento transplantato refici potest. Si plus ossis opus est, exempli gratia e crista iliaca coxae sumi potest. Etiam materiae artificiosae, quae pro osse substituuntur, prospere usurpatae sunt. Os crescens etiam membranis semi-permeabilibus e polytetrafluoroethyleno (PTFE) arte factis regi potest.

Fixurae plerumque in anaesthesia locali inseruntur, quae operatio circiter ab una ad duas horas durat secundum numerum et positionem

earum. Cum agitur de structura ossis solita, ossificatio mandibulae circiter tribus maxillaeque fere sex mensibus fit. Quod pertinet ad operationem unius gradus, constructio prothetica necessaria, simul atque regio operata convaluit, confici potest: singularis corona solida aut pons dentalis aut prothesis tegens, quae removeri potest; haec omnia fere 5 - 6 curationes poscunt. Cum autem agitur de implantatione duorum graduum, tempus convalescendi altera operatio sequitur priore minor, qua capiti fixurae nudatae pars transmucosa intorquetur; post haec curatio incipitur prothetica.

Operae confecto dentes implantati tam diligenter quam dentes proprii curandi sunt et inspectiones odontologicae certis intervallis peragendae. Prognosis curae inter alia ex eo dependet, utri ossi maxillari dentes implantati infigantur et quanto discrimine res suscipiatur, quod pertinet ad qualitatem et quantitatem ossis. Secundum diversas investigationes, quibus patientes quinos annos indagati sunt, curatio mandibulae 95-98 centesimis bene evenit curaque maxillae 90-96 centesimis.

E statisticis officialibus apparet hodie in Finnia fere 5.000 dentium implantatorum singulis annis inseri, et usus adhuc crescit. Haec curatio est permansura et optiones curandi odontologicas significanter multiplicavit. Dentes implantati vitae qualitatem patientis multo meliorem facere potuerunt exempli gratia, si prothesis remobilis alias non iam usurpari potuit propter gravem resorptionem ossis maxillaris aut defectum textus tumore effectum.



*In pictura videntur duae radices dentis implantatae e titanio arte factae, quae forma sunt cochleae et mandibulae inhaerentes pontem dentalem inter se sustentant. Modus implantandi est ITI, et huius modi cochleae nec non cylindri ab instituto Helveticu nomine Straumann conficiuntur, cuius subinstitutum Finnicum benigne hanc picturam publicandam dedit.*

# DE MUNERIBUS SERVORUM (VI)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

## TERRA SIGILLATA: ASCENSUS SOCIALIS (II)

**C**entum et decem figlinae illis temporibus exstabant Arretii, in quibus 65 laborabant figuli. Generatim una tantummodo rota figularis collocata erat in unaquaque figlina, in qua servi, liberti, ingenui communiter laborabant, ita ut laboris divisio insigne esset typicum illarum figlinarum; ea de causa labor ibi aliis officinis erat efficientior hierarchiae in figlina gratia. Ascensus socialis ergo ibi erat possibilis.

Redemptores, i.e. patroni figlinarum, maximam partem in urbibus viventes figlinas suas libertis delegaverant aut servis, qui et operas fabriles et conductionem debebant patronis quibus et figlina et manumissio ergo res erant maxime lucrativae. Vita figulorum erat dura, insuper figuli in societate non aestimabantur. Cooperationis systema complurium servorum, libertorum et ingenuorum minoribus figlinis mox fuit detimento.

Vasa terrae sigillatae venalia prostabant in provinciis, in armamentariis, in castris, in itineribus; emebantur a divitibus, a magistratibus, a veteranis. Optimi figuli erant e regionibus Graecissantibus, i.e. e Graecia, ex Asia Minore, ex Africa septentrionali, ex Magna Graecia. Talibus servis cognitio et scientia erat mythologiae ac religionis Graecorum, quae maximi momenti erant in sigillis conficiendis; parietibus enim exterioribus vasorum persaepe historiolae mythologiae Graecae ac symbola Graeca formis iuvantibus imprimebantur; 55 % talium figulorum erant Graeci; 36 % nominum figulorum erant Latina.

## SIGILLA VASIS TERRAE SIGILLATAE IMPRESSA:

- Sigillum patroni: generatim nomine gentilicio aut praenomine notabatur, generatim casu genetivo.
- Nomina servorum: nomina impressa erant cum nomine patroni in casu genetivo - aut illi servi initialibus signabant suis.
- Typus «marcipor» saepe invenitur: Marci i.e. praenomen patroni. «Por» significat «puer», servus ergo: «Marci servus».
- F = fecit.
- ΕΠΟΥ (Graece) = fecit.

- L sive LIB: «libertus».
- STA i.e. «statuliber», qui heredi patroni erat manumittendus. Spatium temporis operarum fabrilium a statulibero praestandarum a testatore constitui solebat ad libitum. Sigilla figulorum erant minima, nihilominus servis nomina status socialis erant indicanda, aliter enim puniebantur.
- Mox etiam praenomina et cognomina adiungebantur.

Forma a figulis sive servis signantibus conficiebatur; maximam partem agebatur de servis Graecissantibus, ergo cultus civilis Graecorum peritis. Vasa terrae sigillatae ornamentis carentia sigillo figlinae erant signata. Optimi terrae sigillatae specialistae ergo generatim Graeci erant, quia:

- cognitio mythologiae ac religionis erat necessaria;
- sigilla producebant formarum;
- maior pars eorum in Graecia exculti erant sive eruditi aut in religionibus Graecissantibus.

Servis ipsis vasa signantibus litterae initiales in argillam impressae maximi erant momenti, quia sigillum nominis testimonium erat bonae qualitatis.

Aetate Augusti terra sigillata caelata neque in Gallia neque in Germania vix iam conficiebatur. Aetate Tiberii terra sigillata Arretina non iam producebatur.

## LIBERTI ET MANUMISSIONES

Facultas ergo illis servis erat libertatis adipiscendae ac ideo gradatim proficiendi, i.e. ascensio socialis in figlinis usitata sive translaticia erat propter laboris divisionem, qua de causa figuli servi signantes terrae sigillatae caelatae saepius manumittebantur. Tertio autem p.C.n. saeculo numero servorum decrescente numerus manumissionum quoque decrevit; maior enim servorum pars illis temporibus erant vernae, quorum numerus exinde magis magisque accrevit.

(continuabitur)

# LATINE LOQUI ...

## ❖ Seminaria Latina

In seminariis Societatis Latinae participes inducuntur, ut Latine loquantur. Moderatores sunt Dr Caelestis Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talia seminaria suscepit moderanda, et D.rix Sigrides Albert, quae tirones delectabiliter in consuetudinem Latine loquendi inducit.

### In Belgica

**7-14 m. Augusti a. 1999** Brugis in urbe pulcherrima, veterima, historica, quae vocatur «Venetiae septentrionales». Nobis praebebitur locus media in vetere urbe situs, sed tamen remotus a turba periegetarum, iuxta tranquillum euripum (vide imaginem).

Scribatis ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles



### In Helvetia

**25-31 m. Iulii a. 1999** Morsaci supra lacum «Quattuor regionum».

Scribatis ad: Societatem Latinam, Universität - FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

## ❖ Duo Conventicula Latina in America

Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur.

**23-31 m. Mai et 23-31 m. Iulii a. 1999** Lexingtoniae in civitate Kentuckia.

Scribatis ad: Terentium Tunberg, Department Class. Languages, 1015 Patterson Office Tower, University of Kentucky, Lexington KY - USA (clatot@pop.uky.edu)

## ❖ Seminarium L.V.P.Ae

**12-18 m. Iulii a. 1999** in Polonia non longe ab Opolia; thema erit de Silesia Latina.

Scribatis ad: Marium Alexa, Burgstrasse 3, D-59368 Werne.

## ❖ Latine loqui - Romane coquere

**1-7 m. Augusti a. 1999** Amoeneburgi in Germania.

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser, Kleeberger Strasse 40, D-35510 Butzbach.

## ❖ Feriae Latinae

**17 - 24 m. Augusti a. 1999** in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, iuxta Tarasconem.

Scribatis ad: Clementem Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu - vel ad: Iohannem Claudium Champeau, 121 chemin des Moulins sup., F-06510 Gattières.

## ❖ Conventiculum Latinum de orbe Novo

**26 m. Iunii - 2 m. Iulii a. 1999** in pago Californiano «Oceanside».

Scribatis ad: Annulam Llewellyn Menn, UCLA Classics Department, Los Angeles CA 90095-1417 (nel@latin.org)

## ❖ Symposium Latinum

de «Lingua Latina - lingua interdisciplinari», **30 m. Augusti - 2 m. Septembris a. 1999** Arimini in Italia. Scribatis ad: Veram Barandovská-Frank, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn.